



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

P. Sanctae Mariae in via lata Diac. Card. apostolicae sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

officij tibi crediti sis aliis virtutis speculum & exemplar. Et licet omnium tibi subditorum cura generalis incumbat, tamen circa Ecclesias & ecclesiasticas constitutiones tibi sollicitudo imminet specialis, ut per tuam diligentiam Ecclesiarum ipsarum, prout convenit, ordinentur, & rite singulis ordinatis in eis divini cultus obsequia celebrentur. Nos igitur in his, in quibus cum Deo possumus, tibi favorem apostolicum impertiri volentes, ut officium tibi commissum valeas liberius exercere, tibi auctoritate presentium liberam concedimus facultatem ut praelationes, dignitates, prebendas, & cetera beneficia Ecclesiarum illarum quae sunt tibi metropolitico jure subiectae, appellatione cessante valeas idoneis conferre personis, si juxta constitutionem Lateranen. Concilij illi, ad quos pertinent, ad commonitionem tuam ea neglexerint ordinare. Tibi praeterea pagina presenti concedimus ut Praelatos tuae jurisdictioni subiectos per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra praevia ratione compellas ad consueta & debita tibi obsequia exhibenda. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno II.

**DECANO MAIORIS ECCLESIAE
Magdeburgen.**

Epist. 27.
Ipsi indulget ut
Decanatum
Magdeburgensem
retineat.

Sacrofancta Romana Ecclesia &c. *Susque ad verbum*, fili, super inopinato casu tuae cecitatis tibi plurimum condolentes, & gerentes erga te pia compassio affectum, personam tuam, cum omnibus quae in praesentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Decanatum ipsum Magdeburgensis Ecclesiae, sicut ipsum juste ac pacifice possides, devotioni tuae auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus, mandantes ut quod per te non poteris adimplere, per idoneum vicarium exequaris. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, pont. nostri anno II.

In veteri codice MS. Illustrissimi viri Joannis Baptistae Colberti superior epistola, non ad Decanum tantum, sed ad Decanum & Capitulum scripta dicitur, hoc modo: *DECANO & Capitulo Magdeburgensi. Recipiuntur ipsi & bona Ece. ut supra, hoc est, sub protectione S. Petri & sedis apostolicae.*

**ABBATI ET CONVENTUI
sancti Rufi.**

Sententia quae ex delegatione sedis apostolicae ratione praevia promulgatur, firma debet & illibata consistere; & ne in posterum aliquorum temeritate valeat perturbari, apostolico est munimine roboranda. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, sententiam quam venerabilis frater noster Rain. Lugdunen. Archiepiscopus in causa quae inter vos ex una parte & Hospitalarios ex altera super Ecclesia sancti Iacobi de Valentia vertebatur, ex delegatione sedis apostolicae noscitur promulgasse, sicut justè lata est, nec legitima appellatione suspensa, & in ipsius Archiepiscopi authentico plenius continetur, ad exemplar bonae memoriae Celestini Papae praedecessoris nostri auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Idibus Martij, pontificatus nostri anno II.

**P. SANCTAE MARIÆ
in via lata Diac. Card. apostolicae
sedis Legato.**

Sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quae nec difficultas itineris, nec infirmitas corporis, nec debilitas aegritudinis revocare potuit, aut etiam retardare, quod minus festinares ad mandatum apostolicum adimplendum, & semen verbi domini ac verbum pacis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ph. Francorum & R. Anglorum Regum illustrium auribus tam sapienter quam salubriter instillares. Dedit autem Dominus, qui est in se sperantium fortitudo, affectibus tuis in te nostris effectum, & eorundem corda Regum, indurata prius, ad vocem praedicationis tuae misericorditer emollivit, ut etsi nondum plenam pacem statuere potueris, inter ipsos treugas saltem quinquennes receperint, & a multis de verae pacis concordia per tuum studium ineunda speretur. Ut autem ad servandas treugas jam initas & statuendam plenam pacem melius valeas coercere rebelles, discretioni tuae auctoritate praesentium facultatem liberam indulgemus quicquid vel in Reges ipsos, vel in terras eorum, aut alios, & terras

Epist. 24.
Vt sententia
Lugdunensis
Archiepiscopi
pro ipsis lata
firma ratiq[ue]
maneat.

Epist. 27.
Ipsi indulget
in concordia
dis Gallorum
& Anglorum
Regibus laudat.



terras ipsorum, Ecclesias, & Ecclesiarum Prælatos propter hæc vel aliqua quæ istorum aliqua vel utrumque contingat, statuendum videris, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo liberè statuendi, & transgressores ac contumaces ferendi districtione qua noveris expedire. Quia verò quosdam nobiles de utroque regno, qui signum dominicæ crucis assumpserant, à bonæ memoriæ Cle. Papa prædecessore nostro per falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis, absolutionis indulgentiam accepimus impetrasse, cogendi tales ad implendum votum peregrinationis emissum, non obstante indulgentia per subreptionem obtenta, cum mendax precator carere debeat impetratis, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet facultatem. Decernimus ergo &c. Datum Laterani Kal. Aprilis.

P. H. ILLVSTRI REGI
Francorum.

Qui operatus est Petro in apostolatu, nobis per ipsum operari & cooperari dignatus est, dum ad adventum dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, apost. sedis Legati, terra cordis tui venientem super se imbrem devotè suscepit, & sulcata vomere prædicationis ipsius, semen verbi dominici & recepit hilariter, & in fructum uberiùs pullulavit. Ne autem fructus ipse, qui adhuc quasi viret in flore, inimico homine superferminante zizania (quod absit) valeat suffocari, ne semen supra petram cecidisse credatur, si antequam ad plenam veniat maturitatem, arefcat, cum secundum Apostolum non auditores legis, sed factores, justi sint apud Deum, & alibi auditor verbi, & non factor, viro consideranti vulturnativitatis suæ in speculo comparetur, nec sufficiat incipere bonum, nisi & perseveretur in ipso, quoniam non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; oportet magnificentiam regiam cavere præcipuè consilia detractorum, qui pacis consilium odientes, scandala fuscitant, & nutriunt fuscitata, qui latantur cum malè fecerint, & in rebus pessimis gloriantur. Cum igitur, sicut ex literis ejusdem Legati & tuis accepimus, inter te & ca-

rissimum in Christo filium nostrum R. Anglorum Regem illustrem treugæ firmata sint pariter & receptæ quinquennes, nos treugas ipsas juxta mandati nostri tenorem initas & firmatas, ratas habemus, & præcipimus inviolabiliter observari: serenitatem tuam rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus & treugas observes prædictas, & ad tractatum pacis eidem Legato nostro auditum præbeas facilem & benignum; ut sicut inclytæ recordationis Ludovicus pater tuus pacem colere videaris, & Romanam Ecclesiam honorare. Noveris autem nos eidem Cardinali auctoritatem plenariam indulsisse, ut quicquid super treugis jam initis, & concordia ineunda, seu aliis quæ contingunt utrumque vel alterum prædictorum, vel in coactione contumacium, vel poena transgressorum, & aliis quibuslibet ad hoc pertinentibus viderit statuendum, statuat appellatione remota, & faciat inviolabiliter observari. Vniversis etiam Archiepiscopis & Episcopis constitutis tam in regno Franciæ quam Anglorum districtè præcipiendo mandamus ut omnia quæ prædictus Cardinalis propter prædicta statuerit, humiliter recipiant, & appell. postposita studeant observare. Alioquin sententiam quas in eos tulerit, ratam habebimus, & faciemus dante Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno II.

In eundem serè modum scriptum est, districtè præcipiendo, universis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati tam in regno Franciæ quam in regno Angliæ constitutis.

P. SANCTÆ MARIÆ
in via lata Diacono Card. apost.
sedis Legato.

Quæ auctoritate nostra per Legatos sedis apostolicæ providè statuuntur, firma volumus & illibata servari; ne vel revocentur in dubium, vel temeritate cujuslibet irrentur. Eapropter, dilecte in Domino fili, synceritatem devotionis & fidei, quam in exequendo creditæ tibi legationis officio adhibere dignosceris, attendentes, ac de tua discretione confisi, quinquennes

XX

* f. Celestino

Epist. 24.
In hac inter ipsum & Anglorum Regem treugas approbat, & hortatur illum ut eas fortiter observet.

Epist. 25.
Declarat treugas per ipsum initas inter Gallorum & Anglorum Reges sibi placere.